



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Ivrisdictione Ecclesiasticâ, & Iudiciis

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

§. 11. De excommunicatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61847](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61847)

posito, cum reservatum non sit, Episcopus absolvere potest: ab interdicto personali autem non potest quenkum absolvere, nisi sit occultum juxta dispositionem Concil. Trident. Sess. 24. c. 6. A qua licentia excluduntur inferiores habentes jurisdictionem ordinariam, & Episcopalem, uti declaratum est à Congregatione Cardinalium. *Avila part. 5. Diss. 6. Dub. 1.* Parochi nihilo minus jure communi absolvere possunt ab interdicto personali particulari non reservato. *c. nuper de sent. excom. Bonac. Tomo 1 pag. 454. & Tomo 3, pag. 455 Reginald. l. cit. c. 32. Fernandez in Exam. Theol. p. 480 Suarez Diss. 38. Sect. 2. num. 8.* Addens pro absolutione facienda necessarium esse, ut causa tollatur, satisfactio fiat, vel sufficiens cautio detur.

§. XI.

De Excommunicatione.

I. Excommunicatio est *Censura Ecclesiastica*, qua homo baptizatus privatur consortio fidelium, participatione Sacramentorum, & communibus Ecclesie suffragiis. Vel brevius. Est *censura Ecclesiastica*, separans hominem à communione. Per Censuram, quæ generis loco est, excluditur irregularitas, quæ propriè Censura non est, sed inhabilitas quædam. Per reliqua excluditur suspensio, & interdictum, quæ per se, & formaliter non privant communionem, seu consortio fidelium. Colligitur ex *Matth. 18. v. 17.* Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi velut ethnicus, & publicanus. *ad Timoth. 1. v. 20.* Quin etiam ex *Matth. c. 16.* potestatem excommunicandi probat *S. August. in epist. 75. ad auxilium.* Spiritualis pœna est (anathema) quâ fit, quod scriptum est, quæ ligaveris in terrâ,

ligata erunt in cœlis: animas obligat. Ecclesie disciplina hæc severissima est, ut *Calv. loquitur l. 4. Inst. c. 11. Sect. 2.* & quasi ultimum fulmen, non nisi in necessitate adhibendum. *Petr. de Soto Instit. Sacerd. tit. de Clau. Lect. 1. Ang. silvest. Arm. & al. Sum.*

NOTA. Excommunicationis usus etiam apud hæreticos nostros viget. Quamvis sub initium novi Evangelii, quod longius ab Orthodoxâ Ecclesia recederent, Censuras, & Ecclesiasticas pœnas omnes sustulerint, populo libertate promissâ, successu temporis tamen, cum vitia imensum crescere animadvertent, de freno, & excommunicatione ab exilio revocandâ *Lutherus* ipse sollicitus fuit, quemadmodum ex Colloquiis ipsius, Germanicis, & Latinis patet. Sed populo jam ad effrenam licentiam assuefacto, & dominationem, quâ impotenter Ministri uterentur, formidante non sine magno labore, & contradictione multorum restituta est. Nec defuerunt ex doctioribus, qui semel explosam excommunicandi potestatem nullo modo revocandam libris publicè propositis contenderent, quos inter eminuit *Thomas Erasmus Medicus Heidelbergensis*, cui mox *Theodorus Beza* contrario scripto pro fovendâ Ecclesie disciplina se opposuit. *V. Summam Casuum pro Sectariis Grefseri tit. de Sacram. Pœnitentiæ.*

II. Excommunicatio dividitur 1. in majorem & minorem. 2. in eam, quæ est ab homine, & eam, quæ est à Jure. 3. in eam, quæ est latæ sententiæ, & quæ est ferendæ, quam aliqui comminatoriam vocant. 4. in eam, quæ justa, & eam, quæ injusta est. Denique alia fit per sententiã generalem, alia per specialem. *Bonac. Tom.*

kk

I. p. 2.

¶ p. 374. Major excommunicatio privat participatione Sacramentorum activa, & passiva. Minor passiva tantum, & fertur aliquando propter peccatum Veniale. Excommunicatio à Jure dicitur, quam infligit Jus Canonicum, Synodus generalis, vel Nationalis. Ab homine verò quâ sua auctoritate aliquis Judex Ecclesiasticus fert. Latè sententiâ vocamus, quæ ipso facto, absque alia Judicis sententia incurritur. Ferenda, in qua Judicis sententia requiritur. *c. à nobis de exceptione & fin de Cler. excom. c. nuper & c. pen. de sent. excom.* Quæ in Bulla Cœnæ Dom. continentur à Jure potius, quam homine consentur esse: & instar perpetuæ legis etiam mortuæ Papa manent, licet annua promulgatione quodammodo renoventur. *Bonac. h. tit. Sala de leg. Disp. 1. Sect. 9. nu. 62. Suar. eod. l. 1. c. 10. num. 15. Franc. Leo. in thesaur. Eccl. par. 3. c. 38. num. 160.*

III. Causa finalis excommunicationis est bonum, & utilis hominis, ut à malo respiciat, ad bonum se convertat, vel à peccato perpetrando retrahatur. Propterea vocatur disciplina, medicina, nervus & gladius spiritualis. *c. Medicinalis de excom. in c. Abb. in c. sacro. n. 2 eod.* Causa efficiens non admittit Laicum, nec Clericum, qui solam ordinis potestatem habet, nec simplicem curatum, aut Parochum, quamvis ex præscripta consuetudine existintetur posse à nonnullis. *Sum. confess. Abb. in c. Sacro. de off. Ordin. & c. qui contra de foro comp. Nec excommunicare licet illi, qui ipse majori excommunicatione ligatus est. c. audimus 24 q. 1. Eadem ratio est de suspensio & interdicto Palud. in 4 Dist. 18 q. 2. ar. 3. Coton. in Sum. Diana V. Censura n. 4.* Excommunicationem igitur liget ista

tum, qui habet jurisdictionem Ecclesiasticam in foro externo, eamque non impeditam. Ejusmodi est Sum. Pontifex, Patriarcha, Archiepiscopi, Episcopi, Concilium generale, particulare, aut provinciale, Generalis ordinum religiosorum, Abbates, alique Prælati Regularium, juxta statuta & privilegia sua. *Nav. c. 27. n. 5. Valent. IV. Disp. 7 q. 17. p. 1. Hugolin. Tabula. Sayrus l. 5. Angel. V. excom. Salv. & alii Sum. mista Roder. 11. q. 60. ar. 1.* Causa materialis duplex est, remota, & proxima. Remota est subiectum, seu persona, quæ excommunicatur. Propinqua verò culpa, propter quam eaque in majori excommunicatione non quælibet, sed mortalis. *c. nemo 11. q. 3. c. 1. de judiciis & sacro. de sentent. excom.* Persona facta, qualis est Communitas, Universitas, Collegium, Capitulum, non est capax excommunicationis, quia ordinariè continet aliquos innocentes. *c. contingit c. sacro. c. Romano. de sent. excom. & ibi DD.* Fieri tamen aliquando, & à se id visum testatur Zerola *par 2. V. excom. n. 7.* quo in eventu tenere quidem excommunicationem, sed non ligare innocentes de Universitate, vel Collegio. V. quæ diximus *Tit. 11. §. 2. n. 6.* Alia ratio suspensionis & interdicti est, quibus non raro puniuntur integræ civitates, ita tamen, ut spiritualibus bonis neminem innocentem privent. *S. Thom. supplem. q. 22. art. 5. Vivianus in c. Romano de sent. excom. Suar. Disp. 18. Sect. 2 Laym l. 1. tr. 5 par. 1. c. 1. n. 6. Coton. in Sum. Diana V. Censura n. 13.* Denique formalem causam constituunt, vel perficiunt intentio excommunicantis, & modus, seu verba sufficienter expressa. Ad illam, quæ propter delictum præteritum fertur, præmittenda est trina monitio competentibus

bus intervallis facta. *c. Constit. de sent. excom. in 6.* In casu necessitatis, ut si partium litigantium pugnae, & caedes timerentur, una sufficit. Tuac autem sex dies dandi sunt, exprimendo, ut duo primi sint pro prima, secundi pro secunda, tertii pro tertia admonitione. Nec interest scripto an verbo fiat admonitio *Abb. in c. sacro. de sen. excom.* Ipsa tamen excommunicatio (quae est secunda circumstantia) in scripto fieri debet; in quo scripto causa propter quam, exprimatur. Aliter qui excommunicatis sententiam fert, contrahit suspensionem per mensem ab ingressu Ecclesiae, & participatione divinorum officiorum. *c. Cum medicin. de sent. excom. in 6.* Causa autem propter quam, rationabilis & manifesta sit, oportet, neque sufficit soli excommunicanti nota esse. Si tamen absq; trina monitione facta excommunicatio fuerit, valebit. *V. Bar. in c. cit. cum medicin. Franc. Leon. in Thesaur. Eccl. Par. 3. c. 38 n. 5.*

IV. Ad qualitatem excommunicationis pertinent iustitia, validitas, & nullitas. Iusta excommunicatio censetur, cui nulla circumstantia, & causa necessaria deest. Injusta fit ex unius defectu, quod si essentialiter fuerit, nullam reddit, adeo ut in nullo foro recipienda, nec ulli hominum timenda sit. *Gloss. in c. sententia 11. q. 3.* Porro tripliciter injusta excommunicatio dici potest. 1. ex parte ipsius excommunicationis. 2. ex parte excommunicantis. 3. ex parte excommunicati. Et in omnibus adhuc dupliciter, vel ex defectu alicujus essentialiter requisiti, & tunc, ut diximus, nulla est, vel non requiritur essentialiter, & tunc injusta quidem est; sed valida.

Primo igitur ex parte excommunica-

tionis accidit 1. cum trina monitio non praemittitur, & tunc injusta est, sed valida *Gloss. in c. Sacro. de sent. excom.* Invalida quoque si nulla omnino admonitio fiat. *Innoc. tamen in c. illud de Clerico excom.* ut validam agnoscit: sed male, quia cum nulla omnino monitio praemittitur, nulla contumacia est. 2. Cum errorem continet intolerabilem, injusta, & nulla censetur. *c. solet c. Venerabilibus. de sent. excom. in 6.* Error intolerabilis est, excommunicare hominem, qui opus misericordiae, vel alterius virtutis exercuit, aut omisit, quod facere absque peccato non poterat. 3. Cum excommunicatio non fertur in scriptis, & cum causae expressione juxta *c. Medicinalis hoc tt.* est quidem injusta, sed valida, ut in cit. cap. & a DD. passim probatur.

Secundo, ex parte excommunicantis injustitia fit 1. per malam intentionem, ex qua tamen non redditur excommunicatio invalida. Hoc enim peccatum non tam iustitiae, quam charitati adversatur. 2. Quando publice suspensus, aut excommunicatus est, nec justam, nec validam sententiam feret. Si autem non publice excommunicatus est, va id est erit sententia. *Panormitan. in c. excommunicato. num. 7. de praescript. Felinus in c. ad probandum. de re judicata.* 3. Quando nullam jurisdictionem habens excommunicat exemptos, vel non subiectos sibi. *c. quanto de privileg.* injusta simul & invalida excommunicatio est. *c. Nullus de Parocho.*

Tertio ex parte excommunicati 1. cum debito modo appellavit, & adhuc sententia excommunicationis fertur, nullius roboris est. *c. ad praesentiam de appel. 2. cum*

revera non nisi venialiter peccavit, convictus tamen est de graviore peccato, & contumacia per testes, in foro conscientiae nulla est sententia, in exteriori autem pro valida habetur, & servanda est, donec veritas eluceat. *Gloss. in c. per tuas de sentent. excom.* Aliàs ex injusta propter contemptum fiet justa etiam in foro conscientiae, & coram DEO *c. cit. per tuas, & c. illud 24. quest. 3.* Excipe casum, quo sic excommunicatus absque ullo scandalo, vel occultè celebraret. *Cov. in c. Alma mater. part. 1. §. 7. num. 7.* Hinc liquet, quo sensu accipiendum sit illud S. Greg. *relatum in c. 1. 11. quest. 3.* sententiam excommunicationis sive justam, sive injustam esse timendam: illam videlicet, quae quamvis reapte injusta, non tamen omnino invalida est, & saltem in exteriori foro pro justa habetur. *Petr. à Soto. Lect. 3. de excom.*

V. Effectus justae excommunicationis multi sunt, & maligni, corporales, & spirituales, ut *Sily. loquitur §. 3. num. 1.* enumerans particulatim 22. quos *Layman.* ad undecim redegit *l. 1. tract. 5. part. 2. c. 2.* Generatim verò & summarie tres celebrantur. Nam excommunicatus primò privatur activa & passiva susceptione Sacramentorum, ita ut nec Sacramenta administrare, nec suscipere absque gravi peccato possit. *quia c. Engeltrudam 3. qu. 4.* excommunicatus dicitur esse rescissus à corpore Ecclesiae. Et frustra tenent aliqui non esse effectum, sed ipsam essentiam excommunicationis. Hæc enim non nisi causaliter privatio appellatur. *Secundò* privat communibus Ecclesiae suffragiis, ita ut nec sacrificium Missæ, nec publicas orationes Ecclesiae pro excommu-

nico offerre liceat. Dico *publicas.* Quia privatim quilibet orare pro excommunicato potest; imò Sacerdos in *Memento* pro eodem licet orat. *Sily. §. 2. n. 1.* Tertio privat externis quibusdam bonis communibus, hoc versu contentis.

Os, orare, vale, communio, mensa negatur. Per *Os* prohibetur collocaiones verbo, aut scripto. Per *Orare* conventus in sacro audiendo, orando, recitando horas, cantando in choro, & similia. Per *Vale*, salutationes, obsequia, donaria, honores, & reverentiæ signa. Per *Communio* humani, & civiles contractus: intellige quoad peccatum. Excommunicatus enim cum aliis contrahendo peccat. *c. illud de Clerico ex. om. deposito minist. ubi Gl. & DD.* Quoad validitatem verò dicunt aliqui in gratiam non excommunicati pro validis agnosci: sed modò obtinuit, ut absolute validi cenicantur. *c. intellex. de jud. Laym. l. 1. tr. 5. P. 2. c. 3. §.* Porro Testamenti consecratione quoque necessitas licitam facit. *Avila P. 2. c. 6. Diss. 6. D. 6. Anton. peregrin. l. 2. de iure Fisci p. 216.* Professio religiosa sine gravi peccato licet non facile futura sit, valida tamen erit. *Avila l. cit. Limita,* nisi excommunicatus beneficium Ecclesiasticum habeat. Tunc enim si de bonis Ecclesiae contrahit, actus non valebit. *c. veritatis de dolo. & contumacia c. Pastoralis. de appell. Sily. §. 3. q. 15. Tolet. l. 1. c. 11. n. 3. & 4. V. qua diximus in par. 11. Tit. 7. §. 2. D. 7.* Per *Mensam.* Intelligitur simul vesci, in uno lecto cubare, in eodem habitaculo manere, nisi diversæ cellæ, seu mansiones sint. Atque in his, qui cum excommunicato communicant, nec unde excusentur, possunt prætere, excommunicationem minorem incurrun. *c. nuper de sent. excom. Fagun. l. 2.*

in 1. *præc. Eccl. c. 5. n. 15.* Excusantur autem, quibus aliqua ex his 5. causis patrocinatur.

Vile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Vile comprehendit ea, quæ ad salutem animæ excommunicati vel Ecclesiæ utilitatē spectant. *Abb. in c. Dilecti. de except.* Licet enim hortari illum ad penitentiā, consilio regere & instruere. *Lex* de matrimonio intelligitur. Colloqui, convesci, reddere debitum licet. Per *Humile* significatur seivorum officia, familiarium, & liberorum. *Ignorantia* non affectata communis omnium excusatio est. Vt *Necessitas* quoque qua urgente, consilio, auxilio, petendo & accipiendo cum excommunicatis impunè agimus. Excipitur autem in his omnibus communicatio quoad divina, nisi ignorantia excuset, vel periculum mortis. *Glo. in c. cum desideres. de sent. excom. c. Inter alia eod. Bonav. in 4. d. 18. q. 5. Reginald. l. 32. Tr. 1. c. 15. n. 97. & sequ.*

NOTA. In communicatione cum excommunicatis, à peccato mortali parvitas materiæ excusat, ut si exigua pars Missæ cum illo audiatur, vel privatim cum eo Horæ Canonice recitentur. *Diana Par. 5. Tract. 9. Resol. 89. & 93.*

VI. Excommunicationis sententiā nec appellatione, nec mora suspenditur, sed paratam executionem habet. *c. Pastoralis. §. Verum. c. ad hæc. de appell. & c. ad reprimendam. de off. Ordinarij. & c. is cui. §. ult. de sent. Excom. ubi Glo. & DD.* consentiunt, quod Centura secum trahit executionem. Nec opus est causam investigare, quia ipso jure sic constitutum est, ad præcavenda innumera mala. Alia ratio est sententiæ declaratoriæ, quæ quis incurrit se excommunicationem declarat, quia per appellationem suspendi potest, ut di-

ximus in *Tis. 10. §. 11. Dub. 10. Glo. in c. Cuspientes. de el. in 6. Nav. in c. cum contingat. de rescript. Piasec. Par. 11. c. 4. num. 87.* addens licitè communicari posse cum sic excommunicato nec ipsum si celebret, incurrere irregularitatem, si confidet suæ appellationi; securius tamen est, in talibus abstinere ab actibus, qui inducunt irregularitatem, cum vulgatum sit etiam iniustam excommunicationem ligare, & id, quod salutaris est animæ, sequendum sit. q. 1. Porro hic duo *Notanda* sunt. 1. Prædicta intelligi & valere, sive appellatio iusta sit, & cum bona sit, de concepta, sive non. *V. Barb. in c. Seps 44. de appellationib. 2. Locum habere in excommunicatis non toleratis, de qua re legendi. Avila. P. 2. c. 6. Disp. 2. & Disp. 8.*

VIII. Hactenus de effectibus generatim, & quasi summarie egimus. In particulari multa supersunt declaranda. Ac potissime de beneficiis notanda sunt sequentia.

I. Excommunicatus licet non privetur beneficiis ante obtentis, ad nullum, cuiuscunque notæ, ac dignitatis sit in excommunicatione accipiendum habilis censetur, irrita que est omnis electio, præsentatio, collatio, institutio, &c. etiam quando ignorat, se excommunicatum esse. *c. Postulastis. c. ult. de clerico excomm. & favet Regula, quam Abb. laudat in c. ult. de clerico excomm. nu. 3. Prohibito exercitio actus. censetur prohibitum illud omne, per quod pervenitur ad illum actum.* Cum igitur excommunicato prohibeatur beneficii ecclesiastici usus, ea quoque prohibita censentur, sine quibus nemo beneficium adipiscitur, præsentatio, collatio, & simil. *Amplia ad rescriptum, & impetrationem beneficii, quæ nulla est. Avila Par. 2. c. 6.*

D. Vallens. de benef. l. 1. r. 21. Escobar Tr. 4. Exam. 2. n. 21. & sequ.

2. Inhabilem quoque esse ad pensionem, cuius titulus spiritualis est, vel ob spirituale ministerium confertur. *Covar. Alma. Parte 1. §. 7. nu. 2. Secus est de temporali vel mixta, quæ plerumque loco beneficii datur clerico resignanti, permuranti, lite cedenti, vel sustentationem sufficientem non habenti. V. Garz. Par. 7. de benef. c. 13. num. 137. Suarez. Disp. 44.*

3. Fructus quod attinet, licet aliqui dicant illis excommunicatum ipso iure privatum esse, melior opinio fert, si excommunicatus per se, vel per alium satisfacit muneris suo, retinere posse: nec teneri ad restitutionem eorum, quæ bona fide consumpsit, & ditior inde non evasit. *Pe. Navar. l. 2. c. 2. n. 237. Coninck Disp. 14. Dub. 9. Diffic. 3. Concl. 2. Fernandez. Par. 2. c. 9. Diana P. 4. Tr. 4. Resolut. 54. Imò si contumax esse desit, nec quo minus ab excommunicatione liberaretur, impedimentum attulit, licet non satisfacit muneris suo quia nec per se, nec per alium potuit, probabile est, fructus perceptos retinere posse. Layman l. 1. Tr. 5 par. 2. c. 2. Reginald. l. 32. Tr. 1. c. 6. Tolet. l. 1. c. 13. n. 17.*

4. Si quis postquam legitime ad beneficium ecclesiasticum electus est, in excommunicationem incidit, valide non potest acceptare illud. Nullum enim ius in ecclesiasticis beneficiis acquirere potest, cui communitio fidelium prohibita est. Quod vel inde colligitur, quia si eiusmodi excommunicatus ante absolutionem moriatur, beneficium non censebitur per mortem illius vacare. Contrarium tamen aliqui probabiliter asserunt. *Vasq. & alii*

apud Dianam P. 5. Tr. 9. Resolut. 100. Less. c. 34. Dub. 22.

5. Quamvis in excommunicatis toleratis non habeant locum, quæ diximus, sed acta illorum civilia ut valida & ecclesiastica quædam cuiusmodi est iudicialis sententia, ecclesiastici beneficii collatio, electio, & simil., acceptentur, in quocunque genere, & foro: nihilominus per exceptionem adversæ partis repellere posse. Recipiuntur videlicet acta illorum, ut evitentur incommoda, quæ ex contrariis timentur: exceptio tamen permittitur, quia nemo invitus cum excommunicato etiam tolerato agere, & communicare cogendus est. *Laym. lo. cit. n. 13.*

VIII. Quod de nullitate electionis ad beneficia, & Dignitates ecclesiasticas diximus, limitandum est, *Primo* in electione Summi Pontificis, quæ propter excommunicationem, suspensionem, vel interdictum non potest impediri aut infirmari. *Clem. Ne Romani §. Caterum de elect.* Alias ecclesiæ status facile perturbaretur. *Secundo* si in electorum cœtu aliqui tantum excommunicati sint, & maior non excommunicatorum pars aliquem elegerint, rata, & valida electio erit. Vitale enim, *secundum Reg. 36. de Reg. iur. in 6.* per inutile non debet vitari. & *arg. c. unicus. ne sede vacante in 6.* Vbi idem dicitur de collatione præbendarum, quæ cum ad episcopum & Capitulum simul pertinet, episcopo sublato, Capitulum conferre potest, & Capitulo à collatione suspento, vel de Capitulo singulis excommunicatis episcopus *Fran. Suar. c. aliis multis. disp. 14. sect. 2. n. 13.* Tercio. Si excommunicatus est, qui ius patronatus habet, & præsentat aliquem, eamque præsentationem acceptat episcopus, & instituit præsen-

peccatatum, peccabit quidem absq; necessitate communicando cum excommunicato valida tamen erit institutio. *Quartò.* Quando actus personæ ecclesiasticæ proprius nõ est iurisdictionis, ut matrimonio assistere, ad professionem admittere, & similes, quamvis ab excommunicato fiat, non erit irritus, & inanis. Idem dicendũ, si Superior aut Prælatum suspensus sit, & nihilominus admittat, & acceptet professionem: quia eiusmodi admissio, sicut etiam assistentia parochi, nõ est propriè actus iurisdictionis, sed superioritatis. *V. Sanchez in Decal. l. 5. c. 4. n. 78. Bonac. Tom. 1. pag. 89. Marchant. Tract. 8. Candelabri. tit. c. 2. q. 10.*

IX. Si excommunicatus vel alia censura ligatus, in illa per annum inforduerit, contra eum tanquam de hæresi suspectum procedi potest secundum dispositionem. *Conc. Trid. Sess. 25. c. 3. de refor. Notat verò ad c. 116. Practica Diaz Salzedo,* licet per annum in excommunicatione steterit reus, non tamen, ut hæreticum esse condemnandum. *Glo. singul. in c. Contingit. de dolo, & contum.* Levis enim est de hæresi illius suspicio, sufficiens tamen ad indicendum purgationem, quam si subite tenet excommunicatus, tanquam pertinax hæreticus condemnari potest. *c. Excommunicamus. §. Qui autem de heretico contumacia eod. tit. in 6. Innoc. & ceteri in c. ult. de poenis. Osiens. in Sum. de heret. & alii.* Addit Salzedo perpetuum dignum memoria quod si elapsò anno ante condemnationem contumax in iudicio compareat, suamque innocentiam voluerit ostendere, audiendum esse ad effugiendam bonorum confiscationem. Quod si iam condemnatus, & cap-

tus fuerit, ac tanquam verè pœnitens voluerit ecclesiæ reconciliari audiendus est, & si ostendat, legitimè se impeditum fuisse, ita ut contumax non fuerit, omnem pœnam effugiet. *V. Tolot, l. 1. c. 13. n. 14. & seq. Ign. Lopez in Pract. Crim. c. 119. nu. 5. Fill. Tr. 12. c. 9. q. 3. nu. 214.*

X. Mortuus in excommunicatione, & nullis pœnitentiæ signis relictis, ecclesiastica sepultura, & tenebri officio privatur. Neque enim convenit, nos communicare mortuis, quos vivos execrati sumus. *c. Sacris de sepult. ubi Abb. notat. num. 3.* eos, quibus ecclesiastica sepultura interdicitur, sepeliendos non esse propè cœmeterium, sed procul, & in tanta distantia, ut voces cantantium clericorum audiri non possint. *Suar. Disp. 12. sect. 4.* Quod si pœnitentiæ signa moriens reliquit, nec percum stetit, quominus ab excommunicatione liberaretur, etiam post mortem ab excommunicatione absolvi potest, eo fine, ut ecclesiastica sepultura, & suffragiis adjuvetur. *c. à nobis 28. & c. Sacris de sentent. excomm. Vallens. l. 5. tit. 39. artic. 3. Tol. l. 1. c. 13. num. 11. Fill. Tr. 11. c. 5. num. 125.* Hucusque de Maioris excommunicationis effectibus.

XI. Minoris excommunicationis plerique duos effectus numerant *Primus* est, hominem private passiva Sacramentorum participatione. *c. Si celebrat de cler. excomm.* ubi dicitur, minori excommunicatione ligatum graviter peccatè, si celebret, nullius tamen notam irregularitatis incurtere, modò absit contemptus. Additur enim ibidè, si in contemptu ecclesiasticæ disciplinæ, videlicet contra prohibitionem Superioris communioni ex-

communi-

communicatorum pertinaciter se ingeferit, anathemate feriendum esse. Illud graviter peccare Sanchez l. 7. Disp. 9. nu. 5. intelligit ita, ut si matrimonium ineat minori excommunicatione ligatus mortale peccatum committat, quod multi non agnoscunt. Imò, ne venialiter quidem peccare, si aliàs à peccato mortali immunis administret Sacramentum aliquod, asserit. Navar. c. 27. nu. 24. & Henr l. 13. c. 3. n. 2. V. Layman l. 1. tr. 5. Par. 2. c. 3. nu. 4. Secundus effectus est (indirectus & per consequentiam) eligi non posse ad beneficium ecclesiasticum, & factam electionem irritandam esse. c. cit. Si scienter talis electus fuerit, eius electio est irritanda. Nimirum ad eorum susceptionem eligitur à quorum perceptione à Sanctis Patribus est privatus. Idem eadem ratione de presentatione, & collatione beneficii dicendum est. Glo. in c. Quon de el in 6 Covar. 4. alma. Par. 1. §. 7. n. 1. Sanch. l. 2. Consc. 2. Avila Par. 2. c. 6. Disp. 5. Dub. 2. concl. 1. Tolet. l. 1. c. 13. n. 4. Exdictis colligitur. Episcopus dupliciter peccare in minori excommunicatione sacros ordines conferendo. Venialiter primò, quatenus Ordinis Sacramentum confert: deinde mortaliter, quatenus SS. Eucharistia Sacramentum suscipit. Avila lo. cit. Disp. 12. Dub. 3. §. Hinc sequitur. 2. Quando duo Sacerdotes in excommunicatione minori sunt, prius se vicissim à censura absolovere debent, quàm alteri alter absolutionem à peccatis impetiat. Avila lo. citato. Nam quod in hoc rerum genere laico, idem Sacerdoti præstare Sacerdos potest.

XI. Quoniam ecclesiastica disciplina nervus est excommunicatio, ne facile remittatur, vel etiam rumpatur, non leves

contemnentibus pœna constituta sunt. Primò enim Clericus excommunicatus solenniter exercens ministerium sacrum ordini suo annexum, irregularitatem contrahit: si autem ei ismodi actum more laicorum exercent in excommunicationem minorem incidit, cum alia pœna in iure non inveniatur. De irregularitate autem extat. c. Si quis episcopus. 4. 11. q. 3. c. 1. de sent. & re iudica in 6. & c. si cui. de sent. excom. in 6. Navar. c. 27. n. 163. Maiol. l. 3. de irregul. c. 21. & alii DD. communiter. Præterea voce activa, & passiva privatus est: Item deponi ab officio & beneficio in perpetuum potest. Fillius Tr. 12. c. 9. nu. 217. Monet autem Suarez disp. 12. sect. 2. n. 12. Si Sacerdos excommunicatus cante in choro cum aliis, quamvis peccet, nõ tamen irregularem fieri, quia cantus ille non est actus proprius alicuius sacri ordinis, & exerceri solet ac potest etiam ab illis, qui nullum ordinem habent. Secundò, quicumque cum excommunicato participat in eo crimine propter quod excommunicatus est, eadem excommunicatione ligatur. c. Nuper de sent. excom. Conferatur autem participare, qui favore, consilio, vel auxilio adiuvat: intellige postquàm excommunicatus est. Et hoc passim à DD. vocatur participare cum excommunicato in crimine criminoso. Navar. l. cit. n. 112. Silv. §. 8. nu. 10. Avila P. 2. c. 9. Disp. 10. Dub. 3. Tertio qui aliter communicat cum excommunicato, sive in ecclesiasticis, sive in politicis negotiis, nec habet unde excusatur, à peccato mortali, & veniali, excommunicationem minorem incurrit. c. Statuimus. de sent. excom. in 6. c. placuit. & alius. 11. q. 3. De sepultura privatione, quæ pœna maximè formidanda est, dixi-

est, diximus supra numero duodecimo.

XII. Superest absolutio, pro qua supponendo aliquas excommunicationes esse reservatas, alias non esse, traduntur sequentia

Primo, ab excommunicatione, quæ iuris, & non reservata est, etiam parochus, seu proprius Sacerdos absolvere potest, ex ferè communi DD. sententia. c. Nuper de sent. excomm. Tol. l. 1. c. 16. Navarr. c. 27. n. 39. Silv. V. absol. l. n. 4. Laym. l. 1. tract. 5. part. 2. c. 5. Fill. tract. 11. c. 9. l. 4. n. 282. Ea propter apud Quarantam in Sum. Bullarij V. Casus. reservatus pag. 202. à S. Congregatione Cardinalium monentur ordinarii, ne illos casus promiscuè reservent, quibus annexa est excommunicatio maior à iure imposita, cuius absolutio nemini reservata.

Est autem quoad potestatem hanc absolvendi inter Parochum & Episcopum differentia. Episcopus illam habet, ut ordinariam, iurisdictioni suæ annexam, & propriam. Parochi autem non habent illam ratione muneris sui, sed potius concessione, seu commissione speciali propter necessitatem, quæ est in absolvendo à peccatis. Sæpè enim propter annexam excommunicationem non possent absolvere penitentem, sed remittere ad Episcopum deberent, cum magno incommodo, & periculo. Necessitas igitur, & animarum cura sine impedimento exercenda eam licentiam tribuit, fitque inde, ut non possit alteri nisi indirectè conferre, quando scilicet delegat illis suam audiendi confessiones facultatem.

Secundo, quando excommunicatio iuris est, & ab Auctore suo reservata, vel alicui nominatim, sive per specialem sen-

tentiam inflictæ, tunc inferior non potest eam tollere. Abb. in c. ex frequentib. hoc. tt. nec quisquam alius dissentit. Limita quo ad articulum mortis, in quo cum aliter fieri non potest, propter animæ periclitantis salutem, permittitur absolutio à quacunque censura cuilibet Sacerdoti, etiam excommunicato. Conc. Tr. sess. 14. c. 7. Quod verum est, etiam si non absolvat à peccatis; & extenditur ad confessarios, quibus potestas datur ab excommunicationibus non reservatis. Possunt enim etiam extra sacramentum penitentia absolvere. Suar. disp. 7. sect. 4. n. 19. Coninck disp. 14. dub. 16. n. 230. Quid verò articulus mortis dicatur, non uno omnes modo explicant. Sotus in 4. d. 18. q. 4. art. 4. Canus de pen. q. 5. Nimirum tempus significat, in quo imminere mortem nobis, vel aliis prudenter iudicamus, mortem dico, non tantum ex infirmitate, sed quocunque alio periculo, hostium insidiarum, naufragijs, & similibus malorum: etiam cum quis in loco aliquo obsessus est, ubi tela faciuntur, periculo non remoto, sed proximo occumbendi. De quo non potest generalis regula tradi, sed viri prudentis arbitrio decernendum est. Innoc. apud Silvest. V. absolutio. §. 1. n. 8. Barbof. in c. Si quis suadente. 17. q. 4. n. 97. Chapeville de Cas. reserv. p. 66. Navarr. c. 26. n. 31. Tolet. l. 1. c. 15. n. 2.

Tertio Episcopus ab excommunicatione etiam Papæ reservata absolvere potest propter has 3. causas expressas in c. de cetero. c. Ea noscitur. de sent. excomm. 1. est ætatis infirmitas. c. pueris. hoc. tt. 11. infirmitas sexus. c. Quamvis eod. tt. 11. Quodvis legitimum impedimentum ad Sedem Apostolicam accedendi. Sic pauperes, valetudinarii, muti, senes, servitio, vel officio

officio alligati & similes excusantur. *c. de satoro eod. tit.*

Hic verò meminisse oportet, impedimenta, de quibus agimus, aliquando perpetua, aliquando temporaria esse. In perpetuis simpliciter & absque limitatione impenditur absolutio, in temporariis non item: sed cum onere se presentandi conspectui Apostolico, non ut denuò absolvantur, sed ut mandatum accipiant de satisfactione Ecclesiæ, & parti læsæ præstanda. Hoc si absolutus non fecerit, in eandem excommunicationem reincidit. *c. Eos. qui de excomm. in 6.* Hoc tamen limitat *Henriq. l. 13. c. 29. n. 3. & Emm. Sa. V. Excommunicatio n. 8.* nisi antè terminum elapsum parti satisfecerit. Tunc enim cessat causa, presentandi se Superiori, & valet potissimè in illis, qui procul ab Italia, & Vrbe remoti sunt: aliis tamen limitatio hæc minus placet.

Adde, quod etiam consuetudo hic attendi potest. Nam remotiores Episcopi, & Germani, apud quos frequens est Lutheranorum, & Calvinianorum conversio propter impedimenta, & difficultatem Romam proficiscendi tacito quodam S. P. consensu præscripsisse videntur potestatem eiusmodi reos absolventi, & præstita satisfactione Ecclesiæ reconciliandi. *V. Laym. l. 1. Tract. 5. part. 2. c. 6. Navarr. c. 22. n. 85. & quæ diximus in Prolegom. §. 4. n. 6.*

XIII. A minori excommunicatione lata à iure ordinariè & regulariter absolvi proprius Sacerdos hoc est, in sua diocesi Episcopus, & in Parœcia sua parochus, etiam nondum Sacerdos *Reginald*

l. 32. tract. 1. c. 17. sect. 3. Piafec. part. 2. c. 4. num. 88.

Dixi lata à iure non quod aliqua ab homine interdum procedat, sed quia procedere potest, non tamen in usu est, quemadmodum notat *Toletus. l. 1. c. 17. num. 5.*

An autem quicumque etiam simplex Sacerdos à minori excommunicatione absolvere queat, inter DD. controvertitur. Negant *Caiat. in V. Absolutio. Pe. à Soto. Lectio 4. de excomm. Vgolinus c. 16. §. 6. Covarr. in 6. Alma. part. 1. §. 8. num. 2. Silvest. V. Absolutio. §. 3. num. 3.* quia, inquit, hæc absolutio iurisdictionem requirit.

E contra affirmat *Navarr. c. 27. num. 4. Corduba q. 176. Bonacina Tom. 1. pag. 401. num. 11. & 15. Sayrus c. 23. num. 10. Candelabr. aur. numer. 12. Armilla. V. Absolutio. num. 38. Piafec. l. cit. Reginald. l. 32. c. 17. Henriq. l. 13. c. 28. Bonacina Tom. 1. p. 401. numer. 15.* cum quibus censeo absolvere posse quemcumque Sacerdotem ab excommunicatione minori, qui alias potestatem habet, absolventi illum, qui ligatus est, à peccato mortali. Imò quemcumque simplicem Sacerdotem, quando propter veniale peccatum lata excommunicatio est. *c. Nuper 29. de sentent. excomm. Cardin. Toletus. l. 1. c. 17. numer. 7. Diana part. 5. tract. 9. resol. 3. Barbos. in 6. Nuper.* Quin etiam non Sacerdos, sed clericus tantum, quando necessitas urget, ex delegatione habentis iurisdictionem ordinariam absolvere potest. *Fill. tract. 13. c. 7. n. 140. Tanner. xv. d. 6. q. 10. n. 114.*

XIV. Circa prædictam absolutio- nem excommunicationis notandum occurrit.

1. Etiam

7. Etiam absenti, & per literas fieri posse, vel etiam per nuncium, qui ore tenus significet voluntatem absolventis. Excommunicatio enim pœna Ecclesiastica est, quæ sicut absenti, & ignorantibus infligi, ita ab eodem quamvis ignato tolli potest, dummodò sufficienter expressa sit. *Navarr. c. 26. num. 14. Avila part. 2. c. 7. disp. 2. dub. 1. Suarez. V. disp. 7. Sect. 7. num. 4. Sanchez l. 2. Moral. c. 11. n. 14. Tanner Tom. IV. d. 6. q. 10. n. 108.*

2. Invito quoque, & nondum emendato in quibusdam casibus licet impenditur absolutio ab excommunicatione. Ratio eadem est, quæ præcedentis, quia pœna est, non dependens à consensu, vel beneplacito patientis. *Reginald. l. 9. c. 3. n. 36. Sayrus l. 2. c. 21. n. 9.*

3. Nemo absolvendus est ab excommunicatione, quin prius læsæ parti satisfecerit, vel re ipsa, vel sufficienti cautione, pignoratitia aut fideiussoria, & his deficientibus iuratoria. Quin etiam in foro interno, spectata qualitate personæ simplex promissio, seu fidei interpositio instat iuramenti esse potest. *Abb. in c. quaestioni & c. qua fronte. de appell. Silvest. V. absolutio §. 3. n. 3. Navarr. c. 26. numer. 7. Franc. Leo part. 3. c. 38. num. 163. Fill. tr. II. c. 9. num. 295. Sanch. de Matrim. l. 10. disp. 18. n. 38. & 42. ubi generalem regulam tradit. Cum à iure cautio sufficiens requiritur, nec propter inopiam, aliamve causam præstari potest, iuramentum sufficere. *Auth. Generaliter. c. de cleric. & Episc.**

At, inquis, si promissioni non satisfiat, nunquid in excommunicationem reincidit?

R. Minimè. Sed ab homine iterum excommunicari poterit. *c. Ad reprimendam. de Off. Ordinari. Nisi adiecta absolutioni conditio fuerit, ut non satisfaciens reincidat. Adde, quod, si neglecta omnino satisfactione, cautione, & iuramento de satisfaciendo absolvatur, validam absolutionem fore, iuxta c. Venerabilibus §. Sanè. de sent. excomm. in 6. Fill. tract. II. c. 10. n. 310.*

4. Licet ad absolutionem verba non requirantur, & sufficiat aliud sensibile signum, nec certa forma verborum, consultum est tamen, ut præsentem absoluturus his, aut similibus verbis utatur. *Absolvo te à vinculo excommunicationis, quam incurristi propter crimen verb. gr. hæresis, & restituo te Sacramentis Ecclesiæ, & fidelium communioni. In nomine, &c.* Si sub conditione absolvere velit, exprimat dicendo si satisfeceris, si verbis meis obedieris. *Avila part. 2. c. 7. disp. 3. conclus. 2.* Denique fieri potest, ut ligatum pluribus excommunicationibus absolvas ab una tantum, vel quia pro aliis facultas, vel ob certas causas voluntas deest. At quando ab omnibus simul absolvit, omnium causas exprimere debet. *V. Chapeville de casib. reserv. pag. 86. Tanner. d. 6. q. 10. n. 122.*

5. Absolutio fit vel simpliciter, vel ad cautelam, vel ad reincidentiam. Simpliciter facta absolutè, & totaliter aufert censuram, quando nimirum certò constat contractam esse censuram, & pœnitens id fatetur. Ad cautelam datur ex superabundanti, quando dubitatur vel à iudice, vel ipso pœnitente, an censura aliqua ligatus sit, vel de valore illius, quæ lata est. Ad reincidentiam fieri dicitur, cum

non tollitur censura in perpetuum, sed ita ut post certum tempus, ve effectum redeat. v. gr. Si pro electione quæ instat, indigeas absolutione, accipies pro illo tempore tantum, eoque finito, & peracta electione iterum ligatus es. *Piasec. part. 2. 6. 4. n. 88. Filliac. tr. II. c. 10. n. 311. & seq.*

XV. Quod ad solennitatem accidentalem attinet in absolutione ab excommunicatione adhibendam, tres præscriptæ sunt.

Prima est, ut absolvendus iureiurando promittat, se Ecclesiæ, & ministris ipsius obedientem fore. *c. Ex tenore. c. de casero. de sent. excomm.* quod maximè locum habet in maioribus delictis. Non est necessarium tamen generale iuramentum de præceptis Ecclesiæ servandis, sed de iis, quæ ad materiam huius, vel illius excommunicationis, & absolutionis spectant.

Secunda est, ut Sacerdos absolvens aliquem poenitentia Psalmum recitans præmittat. *c. Anobis 2. de sentent. excomm.* & ferè semper quinquagesimus legitur, qui inter septem poenitentiales quartus est. In publica absolutione insuper, habitu sacro utetur, puta, superpellicio, & stola. Reus genu flexo, & nudatis scapulis sedebit, dum psalmus recitatur fune, virga, aut flagello verberandus. Sola hunc ritum consuetudo induxit, qui etiam omitti ex causa potest, & à feminis omninò removendus est. *Anton. 3. part. tt. 24. c. 77. § I. Offiens in Summ. num 14. Navarr. c. 27. n. 7. & 8.* Monet etiam *Caietan. in Summ. V. Absolutio.* in locis publicis omittendum esse, quando absolutio excommunicationis ex Confessione secreta oritur, ne confessio reveletur, & confusio comitetur.

Tertia, ut absoluto Psalmo Oratio Dominica vel alia consueta recitetur. *c. Anobis 2. de sent. excomm. Barbosa ibid.* Adde solent verberari quidam scilicet *Salyum fac servum tuum.* & alii cum collecta *Deus, cui proprium est misereri, &c.* ut præscribitur in *Rituale Romano*, quod *Paulus V. edidit pag. 57.*

His dictis sedet absolvens, & cooperato capite dicit. *Dominus noster Iesus Christus, &c.* ut num. præced. indicavi. Peracta absolutione in Ecclesiam introduci solet, nisi consuetudo alicubi contrarium velit. Denique sciendum, prædictas caeremonias, licet valde convenientes, & & utiles sint, non tamen simpliciter necessarias esse, sed ex causa omitti sine causa verò qui omittunt, non leviter delinquunt. *Navarr. c. 26 num. 7. Anton. 3. part. tt. 24. c. 77. Suar. disp. 19. sect. 2. num. 10. Chapeaville de casib. refer pag. 84. Henrig. 13. c. 28. num. 4. Avila part. 2. c. 7. disp. 3. Vgolinus c. 24. Mar. Alter. de Censur. Tom. I. l. 4. disp. 7. Barbof. in c. Anobis. de sentent. excomm.*

§. 12.

De Degradatione.

I. Degradatio apud Silvestrum, propriè importat privationem executionis legitimæ officiorum, & beneficiorum Ecclesiasticorum simpliciter, & ex toto absque spe restitutionis cum certa solennitate, & privatione privilegii clericalis. Vnde à Depositione differit, quæ quidem est privatio eorandem absque spe restitutionis, sed retento privilegio clericali fori, & capitis, *Si quis suadente 17. quest. 4.* à suspensione autem, quia